DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM, MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XXI. NOVEMBRIS,

M. CAROLO BARALIS, Doctore Medico, Præside.

An statim à conceptione creat Deus in humano semine animam rationis participem? 1015

NON est æstimanda conceptio qualicumque seminis attractione, non eius breui, longáue sed inutili in vtero morâ: quemadmodum frustra prolectat continétque ventriculus alimentum, nisi & ipsum subinde conficit; sic tunc solùm verus, & in vitam abiturus fit conceptus, cùm menstrui sanguinis non multò antè profusi reliquiis adhuc madens vterus, semini, cuius cupiditate exardescit, prouolutus, ac suis penè conuulsus sedibus, obuiam procedit, raptum conceptúmque gremio mollito atque subacto studiosissimè recondit; tùm ne vlla pars spiritus & caloris exspiret, colligens sese atque adducens in angustum, vapore complexúque suo tepefactum fouet, permiscet, suscitat, & quasi fermentat. Hæc admirabilis est & singularis vteri proprietas, hoc primum & præcipuum eius officium, quo vbi functus est, statim suas obit partes longè diuinior vis formatrix, adeo vel initio valida, suóque operi intenta & assidua, vt quartò vel etiam tertio die à peractæ conceptionis articulo, videre sit iam effecta formandi mox humani corpusculi inuolucra; quæ qui extimam seminum partem crustæ instar ab eximio ambientis loci calore exsiccatam putat, sanè vel nugatur, vel in rebus nostris non satis videt.

AB his non temere, sed multa arte elaboratis mēbranis orsa vis formatrix totam se conuertit ad reliquum purius certè ac vegetius, cùm virile, tum femineum semen humanâ specie ac formâ adornandum: ea quippe duo, quia consentaneâ quadam moderatione opportunè conuenerunt, sic mutua inter se iunguntur amicitiâ, amborum vt fiat vis vnica eadémque natura. Nec verò præstans illa vis, instar fictoris statuarum, exterioribus tantum materiæ partibus manum admouet, sed in intimas quasque descendens & permeans, eas variè distrahit, calidas secernit à frigidis, tenues à crassis & terrenis, cunctas denique tamdiu versat, tractatque, dum singulæ in propriam naturam redeant, iisque partibus effingendis suggerantur, à quibus olim decessere; has deinde substantiâ situque discretas, quamuis tantùm inchoatas disponit ordine: mox pictorum exemplo, qui imagines rudibus primùm lineis adumbratas vario genere pigmentorum illustrant; ita quidem in eas vniuersim vires exerit suas, vt non tamen omnes ex æquo promoueat, perpoliat & absoluat; suam aliæ citiùs, aliæ tardiùs formam consequuntur, prout maior est earum dignitas, aut ad vitam necessitas; totius tamen huius operis aliquid delineatum cernitur die septimo, multò apertiùs decimo-quinto: post id temporis iecur, cor, cerebrum, spinalis medulla, nerui, arteriæ, venæ, membranæ, musculi, vincula, puncta oculorum, nasus, auriculæ, brachia, crura, pedes, hisque secreti digiti, vesica, ventriculus, intestina, sic bellè in dies perficiuntur, vt quadragesimo horum nihil non facilè internoscant Lyncei medici.


PRÆCLARAM hominis fabricationem pauci habent omnino perspectam, pauciores Fabricatorem; ab vno fonte, ignoratâ videlicet generationis, feminumque naturâ, dici non potest quàm varia eruperint opinionum portenta: caussas caussarum, Deum & Solem, qui ea, quæ fecêre, per ea ipsa tuentur, quæ fecêre, dum aliqui parum cautè solos nostri opifices prædicant, nonne prædicant & monstrorum? pulchriusne qui has partes verentur quidem animæ, at cælestibus animis non verentur tribuere? his adhuc stolidiores, qui sic mandarunt mundo, quasi non sit ἄψυχος. Quidam detractâ hac patribus curâ, totam in feminæ (licet hæc sit ἄῤῥεν ἀτελὲς ϗ πεπηρωμένον) vterum transtulerunt; verùm non enasci fœtum è matre, sed illi adnasci intellexêre demum, qui nec terram plantas conformare, nec ab ipso vtero oua, sed sæpe ab alienâ animante excludi vsu docti sunt. Confugêre aliqui ad calorem natiuum velut ad vnicum tantæ rei parem artificem; quasi nesciant tam caducam formam, heræ cuiusdam nobilioris pedissequam, nunquam merêre nisi sub vexillis substantiæ; & vt suapte natura mollitudinis aut duritiei, asperitatis aut leuitatis, secretionis aut concretionis, cohæsionis aut abiunctionis effectrix sit, quisquamne sapiens ordinationem, situm, figuram, numerum partium, & id genus alia ipsi ferat accepta? Virtutem quandam diuinam & admirabilem animæ parentum vicariam seminique impressam commenti sunt plerique eorum qui sese iuuentuti prælucere profitentur ad recessus sapientiæ frequentandos; sed esse id fugæ vehiculum, inscitiæve inuolucrum, nimiùm vident, quibus actionis vitalis, qualis ea est quâ nostrum fingitur corpus, explorata est natura, compertumque animæ facultates, nisi ipsa sint anima, saltem esse ἀκοινωνήτως ϗ ἀχωρίστως. Istis telis qui se, ni declinarent, confossum iri senserunt, in aliam se dederunt viam, sed nihilo tutiorem, ridicula capita, fungos se primùm, stipitésve: dein pecudes, simias, asinos, caprósve faciunt, quò tandem fiant homines.

VIRTVTEM corporis, tam nobilis templi architectam, extra semen ne quærito; ad id præsto semper est eius forma, quæ nisi anima est, bruta res est. Mirum est genuinam hanc conformationis nostræ causam vulgus Philosophorum & Medicorum variis cæcatum erroribus tantò aliàs minùs assequutum, quantò rectiùs ad huius veritatis lucem & fontem digitos intenderat naturæ genius, cuius perpetua est sententia animam suum sibi exstruere domicilium: eo quippe naturalia discrepant ab arte factis, in quibus eius quod sunt principium extrinsecus formam subministrat. Planè ab eo formatur fœtus, à quo toto vitæ decursu nutritur & augetur: his autem tribus vitæ munijs simul incipientibus, quis nescit vitam censeri. Propterea cuncta omnino semina (si humanum exceperis) eandem habent cum iis viuentibus à quibus profecta sunt animam, quæ sua sibi exprimit instrumenta, suum sibi condit, apparat & adornat corpus. Id si nondum in animum induxisti, vide vt ipsa interdum semina extra terram in tabulato germinant eliciuntque ex sese herbescentem viriditatem, quæ licet nullis nixa stirpium fibris, sensim adolescit. Generat igitur arbor, cùm producit semen; non autem generatur, cùm pullulat è semine; solùm tunc generatum, quod erat imperfectum, perficitur; verè non gignit canis cùm catellus nascitur, sed cùm gignit semen: nec tamen animarum plenus canis; vnam enim habet, quæ plurium sufficit generationi. Vis clariùs, quemadmodum à lampadis flammâ, flammam excipimus, ipsa nihilosecius integrâ remanente, sic in ramis oleæ, in quibus multæ taleæ, vnica est anima, à quâ multæ.

CÆTERORVM ab homine viuentium semina suam habent animam indigenam, αὐτοφυῆ, & caducam: humanum verò, statim atque in concipientem comprehendentemque naturam incidit, inquilinam, sed immortalem ac penè diuinam, à Deo ipso immortali creatam. Hanc quidem in vdam materiam (informem aut vniformem temere creditam) tanquam in ignobile hospitium ingredi nondum sat persuasum habent ignaui homines sensuum mancipia, ne alioqui spurco ac sordido muco, aut glutiendæ è cochleari pulticulæ similem agnoscere cogantur hominem: religioni dúcunt dominam istam ad operas adigere, & in semen, eximiis sed occultis dotibus ornatum, immittere, quam tamen quotidie, dum nutrimur & crescimus, in informe, & à biduo sumptum alimentum sese induere non diffitentur. Profectò, quæ anima in adultis mouet cor, coquit in ventriculo, recoquit in iecore, perficit in venis, digerit in membra, mutat in corpus, sufficit, vnit, instaurat, redintegrat; illa ipsa sibi primò liquidos fodit, circinat, emollit, & durat lares mille cellis, mille mæandris, corpusculo artem sequente dædalam: ipsamet columnis, arcubus, cænaculis, fenestris, atriis, recessibus distinctam regiam sibi erigit: & valde id vero simile, oris enim humani species in quâ lucent reconditi mores, figura, opportunitates, habilitatésque corporis, dimensa miróque artificio tornata membra, in quibus omnibus nihil peccatum sit distortione aut deprauatione, nullo motu statuve deformi, nonne satis diuinæ illius animæ probant solertiam, quam nulla ars, nulla manus, nemo alius opifex consequi possit imitando.

Ergo statim à conceptione creat Deus in humano semine animam rationis participem.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Rolandus Merlet.
M. Stephanus le Gagneur. *(Med. prim.*
M. Petrus Bourdelot, Sereniss. Christinæ Gothorum Reg.

M. Carolus le Breton.
M. Claudius Perraut, *Scholarum Professor.*
M. Tussanus Fontaine.



M. Claudius Seguin, primarius Christ. Reginæ Medicus.
M. Sebastianus Rainssant.
M. Nicolaus Brayer.

Proponebat Lutetiæ ALANVS LAMY Cadomensis, A. R. S. H. M. DC. LII.

PB